



## **Christ-eyfriger Seelen-Wecker/ Oder Lehrreiche Predigen**

...

... Tomus Divinus und fürnehmlich das Evcharistiale, Das ist: Lehrreiche Predigen Auff verschiedene hohe Fest deß Drey Einigen Gottes/ und Jesu Christi unsers Herrn ...

**Barcia y Zambrana, José de**

**Augspurg, 1720**

Prologus Authoris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76523)



## PROLOGUS AUTHORIS.



Omniū hunc continentem Sermones de variis Mysteriis DEI, ac Domini nostri (propter quos eum totum Divinum appello) & de divinissimo Evcharistiæ Sacramento (propter quos etiam Evcharisticum nomino) totum hunc inquam, quā Divinum, quā Evcharisticum inter panegyricos primum, ac præcipuum in lucem editurus, ut fluvius maximè esse velim, benigne Lector. Fluvius namque, uti Gillebertus docet, impedimentis, & obstaculis aquarum suarum cursibus objectis auctior easdem aquas

suas dein copiosius diffundit, & velociori impetu decurrit. *Magni obices, sed major impetus: repulsus exurgit in cumulum, & impedimento lucra conquirit se diffundit uberius.* Gille fermi. 37. in Cantic.

Revera non defuere obices, quibus libri hujus impressio immorata est. Utinam eo

sine, ut uberius jam, & perniciosi cursu fluat tam iste, quàm qui istum sequentur \* tomi reliqui, prout ego quidem optima mente destino, & offero. Cum enim

unusquisque pro talenti sibi concediti mensura gloriam, & exaltationem amantissimæ Matris nostræ promoveri teneatur juxta divi Chrysoctomi effatum: *Ecclesia negotium*, ait, *unusquisque pro suo modulo juvet*: ideo & ego, quod per DEI gratiam studio meo consecutus sum, a scopo hoc nequiquam volo declinare. Ut nempe (cum Abbate Ruperto loquar) istæ meæ scriptiunculæ ligni loco ferviant (neque enim inter-est, utrum rude sit an tersum, politumque lignum ignis alimentum) ut inde doctorum virorum desiderium, & studiorum labor pro communi bono inardescat, augeatur, & facer divini amoris ignis jugiter conservetur. *Opera mea sic aestimo*, inquit præstantissimus Abbatum, *vel aestimari cupio, tanquam ligna, quibus nutrirî possit ignis charitatis in altari Domini, id est in corde cujuspiam legentis, sive audientis.*

\* Author hunc totum primum scripsit, & vulgavit nempe ante Mariale, & Sanctorale.

Chrysoct. hom. 36. tom. 6.

Rup. præf. de SS. Trinit.

Qua de causa juxta salubre sancti Antonini Archiepiscopi Florentini Consilium in sermonibus hisce non sum sectatus subtilitates. *Coram simplicibus*, inquit ille, *non prædicet subtilitates.* Bene verò soliditatem, veritatemque pro animarum institutione, remedio, & solatio, qua potui, curâ tenere laboravi, Magni Doctoris Salviani exemplò.

Antonin. 3. p. tit. 18. cap. 4.

Qui arrepto calamo admirandos illos de divina Providentia libros scripturus: *In scriptiunculis nostris*, inquit, *non lenocinia esse volumus, sed remedia: quæ scilicet non tam otiosorum auribus placeant, quàm agrotorum mentibus prosint.* Verumtamen quò fideles lubentius admittant remedium, non prætermittit utile pharmacum dulci involucro assumpti cujusdam amænioris symboli velare; ita ut totus sermo in eo versetur, retento cæteroquin illo priori meo modo agendi per similia. Sunt quippe ejusmodi similitudines animæ, divinæ sponse inares, uti in divino Epithalamio videre est. *Murennulas aureas.* Ubi septuaginta legunt: *Similitudines auri.* Siquidem teste S. Bernardo similitudines aures exornant, ut doctrina cum majori facilitate, imò & delectatione percipiatur. *Similitudines auri: quo & ab auditoribus facilius capiuntur, & delectabilius.*

Salvian: Braz. de Guber. Dei.

Cant. 1. Septuag. ibi. Menoch. ibi. v. 10.

Bern. fermi. 41. in Cant.

Illud porro mirum tibi non videatur, quòd *Excitatore Divinum, & Evcharisticum* inscribam; nam cum scripta mea omnia ad eundem finem tendant, ad quam primus meus *Excitator*, id circa viris primâ reverentiâ mihi suspiciendis visum est, omnia sub eodem titulo *Excitatoris* vulgari debere. Ut autem inter se distingui valeant, addendum erat *adjectivum*: uti tribus illi tomis in folio per quadragesimam propediem imprimendis titulus erit *Excitator quadragesimalis*: & huic, *Excitator Divinus & Evcharisticus*: Illi verò, quem statim posthæc imprimi faciam, titulus erit: *Excitator Marialis*: & sic consequenter in iis, qui volente DEO succedent, uti *Excitator Sanctoralis*.

Cæterum in fronte hujus tomi invenies *Epistolam Exhortatoriam* eò tendentem, ut verbi DEI præcones muneris sui super tradenda etiam diebus festis Doctrina commoneant. Rogo te, lege eam, & profice ex illa, nî supremâ vitæ horâ poenitere te velis

velis

## PROLOGUS AUTHORIS.

velit prædicatorem fuisse. Equidem ex re fuit, me quoque habere nonneminem, à quo expergerem: atque hunc in finem eam potissimum scripti sapientis consilium secutus, qui monet unumquemque, aquam de propria cisterna bibere debere. *Prov. 5. Bibe aquam de cisterna tua.* Estque hoc interprete Divo Gregorio in Prædicatores dictum; si nempe bibunt, & proficiunt ex illis ipsis argumentis, & sententiis, quas pro aliorum eruditione colligunt. *Aquam Prædicator,* inquit Sanctissimus Doctor, *de cisterna sua bibit, cum ad cor suum rediens potius audit, quod dicit.* Cum enim magna, & vehemens admodum sit ex ipsa natura propriæ eminentiæ, & gloriæ appetitus, ideo optimum consilium est, si quis à latere semper habeat unum aliquem, qui ingestâ Sanctorum doctrinâ, & utriusque, melioris, ac horridioris sortis exemplis coërceat pruritus. Denique post sermones de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento invenies plantas numerò sexaginta formandis aliis de Augustissimo hoc Mysterio Sermonibus destinatas unâ cum *remissionibus* ad eos libros, ubi plurimas id genus reperire est. Quod quidem tibi commodum erit, & adjumentum; & simul methodus illa, ac ordo, quem antiquiores Sacræ prædicationis Magistri tenuerunt, faciliè retineri poterit. Postremò vehementer te rogo, huic bonæ voluntati meæ vicem habeas fusa ad DEUM prece, ut mihi Sanctum Spiritum suum elargiri dignetur ad promovendam majorem suam gloriam. Valere autem te jubeo verbis S. Bernardi. *Siquid forte à me audisti,* scribit ille, *quod possit prodesse tibi, gratias DEO age, in cujus manu sunt, & nos, & sermones nostri.* Vale.

Prov. 5.  
Greg. 3. P.  
Palt. cap.  
25.

Bern. Epist.  
87. post  
initium,

*Omnia Scripta, & Scribenda sub correctione Sanctæ  
Romanæ Ecclesiæ.*

## DISSERTATIUNCULA INTERPRETIS AD LECTOREM.

**U**ltimus in Bibliothecam tibi venit Barziæ tomus, germane Lector; veniique Germanus, non Hispanus. Sed unde, inquis, Germanus hic mihi venit Hispanus? Haud adeo procul, nec è civitate, sed de pago, & rure. Vis, Symbolo tibi rem dicam: Pingge, vel vide apud Boschium *fontes in urbe*, cum lemmate: *Quod bibimus, de rure venit.* At tu natum torques, & rus nauseas. Apage mihi hunc librum, ais, rus olet. *Plus sanè placeat, Domina qui natus in urbe est.*

Miror, quòd agrestis musca in pretiosum hoc unguentum involet. Ego verò obtestor te, & vehementer rogo, si peccatum est, meum est; parce. Fateamur de rure venimus. Et Reverendissimus author quidem ipse quoque manifestè ruricolam se fatetur; dicit enim se *venientem de villa*: de domo campestri. *He venido*, verba illius sunt, *de aquella bien fundada CASA DE CAMPO de el sagrado Monte de Granada.* Nulla paritas, & consequentia, respondes. De paritate concedo; optima verò consequentia; nam nihil naturalius, quàm ibi dari & umbram, ubi solis radij. Apertè dicam, quòd dicere volebam. Illustrissimus Barzia maximam partem in Interpretes Provinciales incidit. In nostro certè Capitulo rustri, quòd in Superiori Bavaria Schvvabhusianum dicitur, & à Lyco flumine excurrit utque ad Ambræ lacum, in cujus ripa residet Venerabile caput nostrum (DEUS opt: Max. diutissimè incolume servet) tres sunt sacri curiones (& ego quidem minimus eorum) quibus data est *Interpretatio Sermonum* Barzianorum. Duorum laborem jam legisti in Quadragesimali anno proximo idioma Germanico in lucem edito: versionem verò duorum latinam proximè leges; & tum dices, puto, rus, & litteras non adeò Vatinianâ inimicitia inter se disidere; immò ut ille dixit, *conspicue esse.* Sed hæc de rure levior objectio; non enim unde, sed quid veniat curandum. *Nec de herbis*, inquit Petrus Cellensis, *queritur, in qua terra, vel cujus hortulani curâ, & culturâ adoleverint, dummodo vim habeant sanativam.* Venit tibi itaque Barziæ tomus *Divinus, & Eucharisticus* sermone Teutonico expositus, uno ab hinc anno, & aliquot mensibus promissus. *Vellus aureum* tunc compellavi, & Jasonem promisi; optaveram siquidem operi tam arduo transferendo habilis ingenium. Quoniam verò rebûs ita ferentibus ego, non quidem Jason, sed nihilominus argonauta, id est, tardus, & piger nauta (ut Bilbilitanus Jocatur) adhibitus fui, ideo in versione hac mea non aurum, sed lignum promitto, offeròque: & vel maximè mihi apto, quòd author in suo

prologo

Bosch in  
art. symb.  
class. 3. n.  
87.  
Martial. li.  
3. Epig. 1.  
Barz. hic  
serm. 5. n. 2.  
Columel.  
apud Just.  
Lipsi. p. 2.  
cent. 1.  
epist. 8.  
Petr. firmi-  
an. in Præf.  
ad Gygem.  
Petr. Cel-  
lens. apud  
Joa. Brom-  
gard. in  
Prolog. ad  
Alphabeth.  
Concion.  
Martial.  
lib. 3. Epigr.  
de pigeris  
nautis.